20
21

SPECIMEN OBSERVATIONUM MEDICARUM,

QUOD
DEO OPT. MAX. VOLENTE
EX
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI DECRETO
VACANTE
ANATOMICES & BOTANICES
PROFESSORIS CATHEDRA
RESPONDENTE
NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO ADOLESCENTE
JOH. LUDOVICO BUXTORFIO,
Ad Diem 26. Jan. a. p. Ch. n. 1753.
Clariſſ. VV. Competitorum ſuorum Examini
ſubjiciebat

JOH. RUDOLPH. STEHELINUS,
Phil. & Med. Doctor.

H. L. Q. S.

BASILEÆ,
Typis EMANUELIS THURNEYSEN.

DE admirabili illo Effectu, quem Electricitatis vis in C. H. præſtare potuit ex pluribus Obſervationibus jam ſatis conſtat; Sic Viſum, Auditum, Sermonis Uſum, & præcipue Motum in Paralyticis omnino amiſſum, hujus Ope reſtitutos fuiſſe legimus. Quamobrem ego nihil dubitavi, quominus conſimilia inſtituerem facere Experimenta in fœmina 57 circiter annorum, ex Apoplexi jam inde ab 8 annis Paralyſi Lateris ſiniſtri affecta, & ita quidem, ut Brachium non plane immobile eſſet, Digiti vero introflexi porrigi nequirent, Pollicis autem motus valde exiguus erat. Sed vix dd. 24. & 25. Martii a. 1752. per horæ Quadrantem electrica erat reddita, & Scintillæ ex digitis Lateris male affecti excitabantur, ſimulque *Commotio*, quæ dicitur, bis in die adhibebatur, cum ſequenti die mihi nunciatum eſt, eam præ nimio gaudio, quod digitos facilius poſſet commovere ſtatim obliviſci, quicquid loqui voluiſſet, multaque etiam plane inconcinna, atque abſona garrire; quod tamen Delirii genus ſtatim poſt Venæ ſectionem (quæ hiſce Experimentis præmitti debuerat) Revulſionis gratia poſtmodum factam, feliciter ceſſavit, adeo ut nec minimum ex eo tempore amplius incommodum ſenſerit. Porro haud parum ſum miratus, cum viderem Perniones, quibus utrumque Brachium refertum erat, prorſus eſſe ſanatos, cui ſimilem Eventum etiam recenſet V. Cl. JALLABERTUS. Poſtero tempore denuo electrica reddita Calorem in Brachio ſin. ſemper magnum ſenſit, quamvis tangenti haud minus quam Cadaver frigere videretur ad diem usque 20. Aprilis, quo ex maculis & extuberationibus quibusdam rubris jam inde ab aliquot diebus conſpicuis, mane dum adhuc in Lecto ſe contineret, ſanguinis guttæ ſtillabant; Atque ab eo tempore, non Calor tantum, ſed etiam Color Brachii antea lividus ad naturalem ſpeciem magis magisque ſenſim revertebatur, ac Sudor quoque in Brachio rurſus eſt exortus, cum alias reliquo licet Corpore præ ſudore diffluente per 8 integros annos ne minimum quidem unquam maduiſſet. Præterea Digitos facilius porrigit, Brachiumque attollitur, ut multa nunc per id efficere poſſit, quæ antea plane ſibi fuerint impoſſibilia. Quamobrem vehementer doleo, quod plenæ Sanationis Spe jam affulgente, complura in huncce usque diem impedimenta obſtitere, quominus Experimenta hæcce continuarem. Cæterum *τοῖς φαινομένοις* hactenus enumeratis pro Cauſa ſolum ſufficere poteſt augmen per Electricitatem ei motui additum, quo Sanguis per Corpus humanum circumagitur.

II. Quomodo Vermes in C. H. naſcantur, ibidemque vivere queant, res eſt explicatu maxime difficilis; Attamen longe obſcurior

eſt

eſt Generatio Tæniarum, cum hujusmodi animalia extra Hominum & quorundam Animalium Corpora hucusque reperta nunquam ſint. Nam quod ad Obſervationem attinet Viri Celeb. LINNÆI *, cum ea unica ſit, & Tæniæ in aliis Regionibus æque frequentes appareant, nec tamen ullibi conſimile quid inventum fuerit, haud multum momenti habere poteſt. Idcirco inter plurimas hac de re Eruditorum Hominum ſententias quammaxime mihi arridet illa VALLISNERI atque HARTSOECKERI, qui hasce Tænias ita hominibus & quibusdam animalibus eſſe proprias exiſtimant, ut cum iis naſcantur. Nec ullo modo intelligere poſſum, quomodo talia animalia naſci queant, ex *materia organica mobili*, aut ex Vaſis ſuis egreſſa, aut eodem ad Nutritionem non recepta, quæ Cel. Viri BUFFONI ** opinio eſt. Etenim licet hoc ei quis largiatur, ipſum ſemen animalium utriusque Sexus hujuſmodi *materia organica viva* ſcatere (quæ tamen quid ab animali ipſo differat, nondum video) haud minus profecto abſurdum eſt Tæniarum originem ex talibus Organis invicem accumulatis deducere, ac Mundum autumare ex fortuita Atomorum Congerie fuiſſe ortum.

* Syſt. Nat. p. m. 85. ** Hiſtoir. naturell. Ed. in 8vo. Tom. III. p. 450.

III. In Scriptis Summi Viri BOERHAAVII hinc inde legimus, aërem qui nos ambit, ſemper minus Caloris habere Corpore humano, neque homines, quorum Calorem evehit ad gradum 92dum Thermometri Fahrenheitiani vivere poſſe in aëre 90mum gradum attingente, quoniam omnino futurum eſſet, ut Sanguis ex eo Calore coagularetur. Verumenimvero in noſtris Regionibus non raro fit, ut Mercurius tempore æſtivo ad 89 & 90 uſque gradum elatus appareat, & tamen ſatis commode vivatur, atque etiam A. p. Ch. n. 1738. Pariſiis in 93 gradu conſtitiſſe certum eſt; ut ne dicam id quod eruditorum hominum Obſervationibus conſtat, in regionibus calidioribus ad 98. 104. imo etiam 109um usque gradum Mercurium aliquando aſcendiſſe. Quid quod ipſemet ego proxime præterita æſtate, cum aëris Calor 85um Th. F. gradum obtineret, globulum Thermometri Dni. DU CREST in Ore tenens, Spiritum Vini ſupra 21 gradum, qui reſpondet 95 vel 96to Th. F. aſcendere coëgi, quem tempore hyberno, cum Calor aëris eſt in 25to Th. F. gradu, ſupra 18, cui reſpondent 88 vel 89 Th. F. expellere nequeo, cujus Experimenti conſimilia fere alia in Anglia facta eſſe in Commentariis Illuſtr. Viri HALLERI * legere eſt. Ex quo conjici poſſe videtur, Calorem Corporis humani ſemper majorem eſſe, quam Aëris nos ambientis; ſed idem C. H. non ſemper æque calere, atque etiam credibile eſt, tempore æſtivo portionem particularum aquearum magis augeri, ut majorem pati Calorem poſſint, antequam coagulentur, minimeque dubito, ſi cui tempore hyberno diutius manendum eſſet in Conclavi, in quo Aëris Calor 90um gradum contingeret, eum eſſe moriturum: neque eo ſecius tamen fieri poſſe, ut idem homo in aëre æque calido, ac forſitan etiam multo calidiore

ſine ullo Vitæ periculo perdurare alio tempore poſſet, ſi paulatim ei aſſuefactus fuiſſet. Idem de Gradibus quoque frigoris affirmari poteſt: Siquidem narrante Viro Celeberr. GMELINO ** *Jeniſeenſibus* perquam ſingularis res eſſe viſa eſt, cum d. 5. Jan. 1735. ob immane frigus, quo Mercurius $120\frac{76}{100}$ gradibus infra O in Th. F. depreſſus fuerat, Picæ & Paſſeres velut exanimati in Terram deciderent; ibi enim aëre gr. 54 infra O poſſidente haud difficulter ferunt, quem ad usque Mercurius haud raro deprimitur; cum in Germania Aves frigore emortuæ ſint, Mercurio non infra O Th. F. depreſſo.

* Comment. in BOERH. Prælect. Tom. I. §. 69. n. 19. ** Floræ Siberic. Præfat. p. 72 - - 76.

IV. Ventriculum Cordis dextrum ſiniſtro eſſe capaciorem plerique conſentiunt, ſed vero perdifficile, imo etiam plane impoſſibile eſt, certam hujus rei æſtimationem facere, accommodant enim ſeſe fluido ſanguini recipiendo, ita ut nunc majori, nunc minori ejus Copia ſemper repleantur, cumque ſiniſter eandem Sanguinis copiam per Pulmones transmiſſam recipiat, æque capax erit ac dexter, niſi in eo tranſitu aliquid depereat, vel in Volumen minus condenſetur. Conſiderandum igitur eſt, an tale quid hic evenire queat. Itaque huc imprimis pertinet, quod Vir Cel. HALESIUS * obſervavit, poſtquam 50es exſpiraſſet in phialam, cujus in fundum Cinerem bene exſiccatum demiſerat, pondus Cineris ab humore, qui nonniſi ex pulmonibus in eum intrare potuit, 17 granis auctum fuiſſe; hinc facta Supputatione cum hoc ponitur, fieri 4 Pulſus tempore unius Reſpirationis, & 20 Reſpirationes tempore 1 Min. primi, intra 24 horas exhalabuntur 9792 grana, adeoque per tempus unius Syſtoles fere $\frac{1}{12}$ gr. quæ Quantitas hic nullius momenti eſt, & præterea ex Aëre itidem humidum quiddam reſorbetur. Quodſi autem illa valebit Opinio Sanguinem ex omnibus C. H. partibus reducem ſcatere plurimis particulis ſeroſis, aqueisque quæ per Pulmones tranſeundo in Sanguinem rubrum, vel in Globulos ſanguineos mutentur, tunc Sanguis ille in Ventriculo ſin. minus occupabit Spatii, quam in dextro. Sed enim licet hoc aſſumeretur, Rationem Seri ad globulos ſanguineos in Ventriculo dextro eſſe, ut 2 ad 1. & pondus ſpecificum ſeri, & globulorum ſanguineorum ad aquam eſſe, ut $1021\frac{2}{3}$ & 1093 ad 1000, Ventriculum vero dextrum capere 2 Uncias fluidi, ſimulque omne illud Serum in Globulos ſanguineos mutari, attamen invenietur Differentia amborum Ventriculorum 0, 1314 poll. cub. non major, quo in Spatio contineri poſſent fere 42 gr. Seri. Sin autem poneretur dimidiam tantum Seri portionem in ſanguineos globulos mutari, differentia erit ſolummodo dimidia ſc. 0, 0657 poll. cub. Adeoque apparet Ventriculum ſiniſtrum nonniſi perexiguo minus capacem eſſe dextro.

* HÆMASTATIKS *Appendix* p. 326. §. 5. 6.

V. Vir

V. Vir Cl. LALOUETTE * complura fecit Experimenta in Glandula Thyroidea, idque tam in Hominibus quam in Animalibus, ac per eum laborem hæc repperit. 1°. Aërem in Venas & Arterias impulſum glandulam ne minimum quidem attollere, eandemque totam ſufflari, ſi in ipſam Glandulæ ſubſtantiam aër immittatur. 2°. Cum Laryngem glandulamque Thyreoideam mire auctam in fœmina, quæ per nimiam Magnitudinem Strumæ (*le Goetre*) ſuffocata fuerat, per 6 dies in Sale Ammoniaco diſſoluto maceraſſet, ut humor qui inibi continebatur attenuaretur, ac dein Laryngem diſſecuiſſet, vidit ex ipſo fundo Ventriculorum Laryngis ad Latera Glottidis guttas exiguas humoris cujusdam aquei emergere, quotiescunque Glandulam comprimeret. 3°. Cum perſcrutaretur, Glandulam Thyreoideam fœminæ, cui in ipſo Partus labore ob nimis validum nixum inſignis Tumor ad latus ſiniſtrum hujus Glandulæ ſubito enatus fuerat, vidit illam nonniſi aëre repletam fuiſſe, itaque ſtatim poſt Inciſionem factam Tumorem ſubſediſſe. 4°. Cum Vituli vivi Cutim & Muſculos Laryngem conveſtientes diſſecaret, ut Glandula Thyreoidea in Conſpectum ſibi veniret, & notari poſſet, an ex validiori nixu, quem Vitulus ob Dolorem facere cogebatur, Glandula hæcce inflaretur, nullam Inflationem fuiſſe conſecutam, donec ore naribusque obturatis, aëris Meatum impedivit, tunc demum parumper eam inflatam eſſe, ſimulque Animal ſuffocatum. Ex quibus pæne perſuaſum ei fuit, ſecerni in hanc Glandulam fluidum quiddam, quod per complures Ductus exiles inviſibiles in Ventriculos Laryngis inde derivetur. Attamen ſemper adhuc dubitari mihi poſſe videtur, an hæ viæ fuerint naturales.

* *Memoir. de Mathem. & de Phyſ. préſentées à l'Acad. des Scienc. par divers Savans.* Tom. I. p. 159.

VI. Quantumvis ſumma licet cum Diligentia Sceleton conſtruatur, tamen Situs Coſtarum & Connexio, nec non Amplitudo quoque pectoris longe diverſæ erunt a naturali earundem rerum configuratione, ob Sterni cartilagineam naturam. Omnis enim Cartilago cum exſiccata eſt, ſemper aliquid de Longitudine ſua deperdit, breviorque redditur, id quod in Cartilaginibus Sterni longiſſimis, quæ cum Coſtis connectuntur, multo magis locum habet; Veruntamen uti loco Cartilaginum, quæ inter Corpora Vertebrarum interpoſita ſunt, Lamellæ coriaceæ adhibentur, ita vera Longitudo & Convexitas Sterni obtineri poſſet, ſi veris Cartilaginibus Laminæ metallicæ, vel Virgulæ balænatæ adnecterentur.

VII. Æſtate proxime præterita inter alias plantas aquaticas ex piſcina juxta klein Riechen a me collectas inveni *Fluvialem Piſanam* J. B. III. p. 779. & quidem diu hæſeram dubius, quænam eſſet planta hæcce a me inventa, donec Caſu fortuito in huncce BAUHINI locum incidi, ubi ejus Figuram & Deſcriptionem ſatis apte cum Planta mea congruentes repperi. Poſtea autem quam Figuras etiam VAILLANTII

&

& Michelii inſpexi nihil amplius mihi dubium relictum eſt, quin eſſet *Fluvialis minor, foliis anguſtiſſimis, denticulatis deorſum reflexis, fructu acuto, tenuiori, monoſpermo.* Mich. *nov. Pl. gen.* p. 11. n. 3. T. VIII. f. 3. & Najas Linn. *Fl. Suec.* n. 791. licet florem vel fructum non viderim. Atqui vero hanc ipſam plantam Vir Illuſtris Hallerus E. St. H. p. 200. affirmat in Helvetia nondum fuiſſe repertam, unde quæri poteſt, quomodo Semina hujus Plantæ in hancce Piſcinam pervenire potuerint? Sed enim & aliæ Plantæ in Agro noſtro Baſil. reperiuntur, quæ alias in longiſſime hinc diſſitis tantum Locis creſcunt, quam ad Claſſem pertinet *Cyperoides mont. humile, anguſtifolium, Culmo veluti folioſo, ſpicis obſeſſo.* Scheuchz. *Agroſt.* p. 407. T. X. Fig. 1. quod primo Vere creſcit in M. *Crenzach*, & *Alſine tenuifolia floſculis umbellatis minimis.* Hall. E. St. Helv. Tab. VII. quæ in Ripa Rheni reperitur, qua *Crenzacum* verſus flectitur.

VIII. *Tremella paluſtris Veſiculis ſphæricis fungiformibus.* Dill. *Hiſt. Muſc.* p. 55. T. X. f. 17. tempore autumnali in locis humectis hinc inde reperitur. Eam plantam, cum tertio die poſtquam reperiſſem Microſcopio luſtrans Veſiculam quandam e majoribus acu contingerem, perjucundum mihi Spectaculum fuit videre aqueum humorem magno cum impetu prorumpere, adeo ut faciem quoque mihi aliquot guttulis conſpergeret; In veſiculæ autem loco aderat hemiſphærium quoddam concavum. Verum enim vero unica tantum vice hujusmodi Liquoris Ejaculationem animadvertere potui, quamvis per plures dies curioſe eam aucuparer, cum tamen fere quotidie aliquot Veſiculas in Hemiſphæria mutatas viderem; ex quo mihi veriſimile fit, hasce Veſiculas humorem illum exſpergere, uti *Carpobolus* Michelii, qua de re Dillenius l. c. adhuc dubitat. Cæterum præter hancce Plantam inter Muſcos meos etiam habeo *Lichenoides gelatinoſum palmatum, Tuberculis conglomeratis* Dill. H. M. p. 141. T. XIX. f. 27. *Fontinalem triangularem minorem carinatam e Cymis capſuliferam* Ej. T. XXXIII. fig. 2. &c. quæ Muſcorum Species omnes in E. St. H. non recenſentur, unde tantum non inducor, ut credam, complures Muſci Species a Viro Cel. Dillenio exhibitas in Agro Baſ. poſſe reperiri, exceptis forſan ex eo numero ſolis utriusque Indiæ Muſcis, atque Alpinis nonnullis.

IX. Florem Celebris illius Plantæ Peloriæ primus ego, id quod neminem hic Baſileæ latere puto, inveni, & quidem caſu fortuito in *Elatine folio ſubrotundo.* C. B. d. 13. 7bris. *A. p. Chr. n.* 1751, dum Agros, quos Birſa flumen alluit, peragrarem, eumque illo ipſo & proxime eum conſecuto die Viris Rei Herbariæ peritis nonnullis oſtendi, atque etiam depingendum curavi. Inde Die Jovis proximo cum Virum Celeberrimum J. Christ. Ramspeckium * in Bibliotheca noſtra Academica offendiſſem, ei quoque plantam illam a me inventam narravi, qua ex re ille in maximam admirationem conjectus, a me petiit,

petiit, ut eam ſibi inſpiciendam darem, eamque ob cauſam poſtero die, qui Veneris erat, atque in eo menſe ſupra decimum ſeptimus, ſtatim a prandio, ante Prælectionem ſuam ordinariam cum me conveniſſet, pariter & ipſum Peloriæ florem, & iconem ejus apud me vidit, eodemque ipſo die in Agris circa *Gundeldingam*, dum Elatinas de induſtria ubique conquirit, Peloriam cum Limbo in 6 Lacinias diviſo, omnibusque floris partibus ſextuplicibus, invenit, quam etiam antequam ex agris domum rediret, mihi obviam ei facto contemplandam exhibuit, adhuc incertus quisnam eſſet flos a ſe inventus, ac deinde die ejus Menſis 18. qui proxime ſequebatur, Iconem meæ plantæ ipſi utendam conceſſi, quo Pictor ejus ad exemplum Peloriam ſuam exigere poſſet, quæ tamen ad veram plantæ figuram non ſatis reſpondit; Unde liquet, quamvis Specimen agoniſticum 2. V. C. RAMSPECKII legenti primo intuitu videri queat, eum primam Inventionem Peloriæ ſibi attribuere, at præſertim ſi accuratius Verba ejus expenduntur, Eum p. 11. loqui de Peloria cum Limbo in 6. lacinias diviſo, de qua jure optimo aſſeverare potuit, talem nunquam antea a ſe viſam, ſicque a ſe primum repertam; nec dubito de eadem hac ſpecie etiam actum eſſe in Actis Gœttingenſibus. Cæterum vehementer miror Virum Cel. in Peloria vulgari (ita enim voco quæ 5 gaudet Nectariis &c.) quam *multoties* vidit, nunquam reperiſſe maculas fuſcas, cum ego in meis Exemplis, quorum tamen perpauca colligere mihi licuit, quamvis aliquot dies iis conquirendis a. 1751 & 52. impendiſſem, nullam inveniam, ubi quædam Limbi Segmenta, vel Protuberantiæ illæ 5, atropurpureis ſtriis & punctis non eſſent diſtincta. Porro ipſe egomet Degenerationes floris Elatines, quæ inter Elatinem & Peloriam quaſi eſſent intermediæ, longe frequentius ipſa Peloria inveni, quæ & occaſionem mihi dedere conjiciendi, Peloriam ſoli Elatines flori originem ſuam debere; Siquidem coalitis Labiis fl. Elatines naſcitur Limbus & Tubus Peloriæ cum 5 illis Protuberantiis, Staminis autem quinti Rudimentum adeſt in ipſa Elatine, quinque illis Protuberantiis Nectariorum Productioni inſervientibus, cujus Sententiæ Vir Celebratiſſimus J. G. GMELINUS, in Litteris de Peloria pro ſumma ſua humanitate ad me ſcriptis Auctor eſt. Verum enim cum de hisce pluribus egerim in Recenſione Obſervationum in Peloria a me factarum, quam jam ante complures menſes, ut *II. Tomo Actorum Helveticorum* inſererentur, eorum Editori transmiſeram, plura hic addere ſuperſedebo.

* PHIL. & MEDICINÆ DOCT. Eloquentiæ Prof. P.

X. Quam idem Vir Cel. RAMSPECKIUS §. XIV. deſcribit Plantam, quamque *fere credit* eſſe *Alnum nigram polycarpon* C. B. eam ego Comes ipſius βοτανόφιλος in *M. Muteto* & *Dornacenſi* ſimul cum eo in utroque Monte reperi, nec tamen aliam eſſe exiſtimo, quam vulgatiſſimum illum *Rhamnum catharcticum*, vel *Cerviſpinam*, *floribus hermaphroditis fœminis*, cujus floris iconem dat DILL. nov. gen. Tab. VIII.

Lit.

Lit. A. utpote in quem egregie conveniunt ipſius V. C. Deſcriptio, Character ab Illuſtri HALLERO delineatus, Comparatio ejus cum Rhamno Cathartico *floribus hermaphroditis maſculis*, de qua V. C. nihil eſt dubium; Spinæ in utraque adſunt, flores eodem modo circa foliorum originem ex Ramis in pediculis ſingularibus oblongis exoriuntur, quos etiam ſatis numeroſos denſeque congeſtos in quibusdam meis Exemplis video; Summa denique Similitudo foliorum in utraque Planta, tum etiam figuræ, magnitudinis, Nervorum Decurſus ſecundum longitudinem foliorum, ac plane eadem omnia cum Glandula vel Spinula rubente in ipſis foliorum Serraturis nullum dubitandi locum relinquunt, id quod jam olim Viro Celeb. indicaveram. Porro hancce plantam diverſam eſſe ab *Alno nigra polycarpo* C. B. antehac jam judicavi, quod ejus Deſcriptio, quæ in *Prodromo* exhibita eſt, quam maximam ab eo differentiam haberet, qua in opinione ante paucas hasce Septimanas plane ſum confirmatus, cum mihi licuiſſet ipſum *Herbarium vivum* C. B. inſpicere, plantamque noſtram cum illa C. BAUHINI, & duabus iconibus, diligentiſſime (uti ſolent) ac pulcherrime Calamo depictis, quæ ei appoſitæ ſunt, conferre; Ibi enim nimium quantum hasce duas plantas a ſe invicem diverſas vidi; quandoquidem illa C. B. habet Folia foliis *Frangulæ* haud diſſimilia, niſi quod tenuiſſime ſerrata ſint, absque glandulis vel ſpinulis in ſerraturis, plurimis nervis per totum folium eodem modo ac in Frangula diſcurrentibus. Flores vero & fructus non circa foliorum origines, ut eſt in Rhamno, ſed ſecundum longitudinem Ramorum ex ipſis Ramis exeuntes, copioſos, *velut in Racemo cohærentes*, uti veriſſime & in Prodromo habet, & in figuris depictum eſt, quos neque figura JOH. BAUHINI, neque LONICERI bene exprimunt. Cæterum accuratiorem hujus plantæ atque etiam ipſius floris Deſcriptionem proximo Vere exhibere mihi animus eſt, ubi, Vitam largiente Deo Opt. Max. de induſtria in hancce plantam inquiſivero.

XI. In *Naſturtio ſylveſtri Oſyridis folio* C. B. proxime præterito Autumno flores omnes hexapetalos, tetrandros reperi, quod in ea planta ex Alimentorum abundantia luxuriante flores eſſent multiplicati, & Stamina duo breviora in Petala mutata. Idcirco non ſatis poſſum intelligere, cur V. C. LINNÆUS in Flor. Suec. n. 534. vocet eandem plantam *Lepidium floribus apetalis diandris*, atque in *Generibus* n. 645. de eadem hac planta ſcripſerit, eſſe mutationem in hac Claſſe inauditam; niſi ſi forte in Suecia flos iſte a Caloris defectu mutilus naſcitur.

XII. *De Linaria vulgari lutea flore majore* C. B. ſcribit LINN. *Hort. Cliffort.* p. 324 *eam peſſime fœtere, & Veneni quid fovere, credi; hinc in Suecia flores in feneſtris Ruſticorum Muſcis objici, ut inde pereant.* Verum enim in noſtris ſane Regionibus illam Odoris plane expertem ſemper reperi, nec ab ullo Botanices perito homine talem fœtorem apud nos notatum ſcio, neque etiam de Veneno liquet; Cæterum acrimoniam haud exiguam habere, ac propterea melius ab uſu illius, quod ad internas C. H. partes attinet, abſtineri, Auctores conſentiunt.

TANTUM.